

„ Pontifices, qui non accipiebant ob Sacerdotes crean-
 „ dos pecuniam, sed tantummodo *Embaticium* aliquis
 „ capiebat, quando Sacerdotem aliquem faceret, dante
 „ id Ecclesia. Atque cognoscite quæso, quodnam (1)
 „ *Embaticium* quidam eorum Pontificum acceperint,
 „ quum in ipsa ordinatione nullos caperent Florenos, ut
 „ ne sanctionem sacrarum Legum & Antistitum transi-
 „ rent, neu eodem cum Simone Mago crimine conde-
 „ mnarentur, capiebant exinde duplum *Embaticium*,
 „ *ἐμβάτιμιον διπλόν*. Ita e tali nundinatione nihil eis de-
 „ cedebat, sed ad idem satiandæ avaritiæ suæ princi-
 „ pium redibant. Væ, væ illis. Non patitur se irride-
 „ ri Deus, neque in personam intuetur, nec Regis,
 „ nec Principis, nec Pontificis, nec cuiusquam alius; ve-
 „ rum singulis secundum facta sua retribuit, quippe Deus
 „ justus.

Demum quo pacto non solum Simonia universim
 eliminata fuerit, sed etiam *Embaticium* proscriptum,
 idem Malaxus narrat, de Metrophanis successore *Je-
 remia Patriarcha*, quondam Larissæ Metropolitæ sic scri-
 bens pag. 180. „ Eiectus autem est (2) in excelsum Pa-
 „ triarchicum thronum anno conditi orbis septiesmillesi-
 „ mo (3) octogesimo, die 5. Maii. Primam Liturgiam
 „ celebravit die festo sanctæ & gloriosæ Ascensionis
 „ Domini Nostri Jesu Christi, decimo quinto ejusdem
 „ mensis die, magna celebritate & frequentia Pontifi-
 „ cum, Clericorum, & Optimatum, aliorumque mul-
 „ torum Christianorum. Sequenti die accepit Pescesium,
 „ duo millia Florenorum, profectusque ad *Tesleri*, hoc

Pppp 2

„ est.

[1] *Εμβάτιμιον, ἐμβάτιμιον, ἐμπάτιμιον*, apud Malaxum. Que-
 nus in Metrophane Tom. 1. Orient. Chr. pag. 324. Atqui in ea Synodo (in qua
 Iosaph depositus fuit) legem tulerant, qua vetabatur, nequisquam Presulum
 aliquid ordinationis gratia acciperet: honorario dumtaxat excepto, quod *ἐμβάτιμιον*
 dicunt, quam tamen indulgentiam Malaxus improbat, uti pessime arboris
 nequissimam radicem. At vero Metrophane Patriarcha creato, Simonia luci nibi-
 losocius aperte grassata est, καὶ πάντῃ ἵσαν τὰ σιμωνιακά, ait in Synopsi
 Dorotheus.

(2) Græcum textum sic ego verbatim reddo, nam Crusii interpretatio non
 semper respondet.

(3) Hoc est, anno Chr. 1572, non 1571. uti perperam habet Crusius.